

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

MYDROPE

QVAM

AVCTORITATE ATQVE CONSENSV GRA-
TIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

GEORGIO AVGVSTO
LANGGVTH

PHILOS. ET MEDIC. DOCT. PATHOLOG. ET
CHIRVRG. P. P. O. ACAD. SENIORE

PRO

GRADV DOCTORIS

SVMMSQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS AC
PRIVILEGIIS RITE IMPETRANDIS

D. XIII. NOVEMBER. MDCCCLXXX,

PVBlice DEFENDET

AVCTOR

IOANNES LVDOVICVS FRIDERICVS
BLOEDAV,

SCHWARZBERGICVS MEDICINAE CANDIDATVS.



WITTENBERGAE, EXCUDIT ADAMUS CHRISTIANUS CHARISIUS,

Pathol. spec.

488, 10

Handwritten signature or mark in the bottom right corner.

1771

GEORGE AUGUSTUS

BY APPOINTMENT

GEORGE AUGUSTUS

BY APPOINTMENT

BY APPOINTMENT

BY APPOINTMENT

BY APPOINTMENT

BY APPOINTMENT

BY APPOINTMENT

BY APPOINTMENT

BY APPOINTMENT

BY APPOINTMENT



§. I.

Hydropis notio.

Humorum serosorum, vel liquidorum analogorum collectio praeternaturalis in quavis nostri corporis parte caua dicitur hydrops. Quia autem, vt BOERHAAVE dicit ^{a)}, in omni corporis habitu ac qualibet parte singulari eiusmodi humorum circulus deprehenditur, quomodo ubicunque hydrops oriri possit, facile etiam assequimur.

§. II.




Diuisio hydropis.

Hydrops propter variam, quam occupat, sedem, in multas diuiditur species, quae autem fere in omnibus libris pathologicis confuse proponuntur, quia non solum modo de hac, modo de illa agitur specie, sed, quia etiam, quaedam hydropis species aliorum morborum

A 2

nume

a) Aphor. 1216.

numerum ineunt, quibuscum iis nil est commune, nisi locus et figura
 puta *hydropes scroti*, de quibus agitur in Capite de herniis, cum in-
 scriptione *herniarum spuriarum*. Cum autem hernia nihil aliud sit,
 quam visceris cuiusdam egressus e cauo suo naturali in aliud praeterna-
 turale, hydropes scroti abusiue inter hernias referri, et adiectum *spu-
 rias* vocem esse vagam, eamque solummodo ob causam electam, vt
 herniarum nomine insigniri possint, quilibet facile perspiciet. Opti-
 me secundum variam sedem hic morbus diuiditur, eiusque species de-
 nominantur et disponuntur. Proponam itaque *duas Classis*, et ad *pri-
 mam* referam hydropes telae cellulosae, quorum *sedes est in tela cellu-
 losa*, ad *alteram* autem, quorum *sedes est in cauitatibus*, qui sunt fac-
 cati. Classis prior admittit iterum duas diuisiones, respectu telae cel-
 lulosae, nimirum *sub cute*, qualis anasarca, et *telaee cellulosae interio-
 ris*, hydrops mediastini; Sic etiam altera Classis respectu contentorum.
 Hydrops enim faccatus vel *aquam tantum continet*, quae aut *in cauo
 naturali* includitur, vt hydrops vteri, aut *praeternaturali*, vt hydati-
 des; vel *simul alia viscera*, vt hydrops pericardii.

§. III.

Differentia hydropum.

Differunt hydropes ratione causarum, symptomatum, diagnosis
 et praenotionis, sedis et nominum. Si autem libros euoluamus patho-
 logicos, differentias ac denominationes morborum inuenimus, quae
 magis ex amore erga Systemata, quam faciliorem morborum notio-
 nem sunt excogitatae, quinimo saepe sunt eiusmodi conditionis, vt
 lector, qui adhuc versatur in ineunte Artis Medicae studio, et in Sy-
 stematibus morborum nomina sine adiecta vis vocis interpretatione per-
 lustrat, notiones et ideas praeposteras ac falsas de iis formet. Vt vni-
 cum

cum



cum tantum afferam exemplum, *hydropem siccum* nominabo, qui a multis Viris praeclaris tanquam hydropis species consideratur, cuius ratio latere videtur in hydrope definiendo per *intumescentiam* ab aquosa humiditate principium ducentem. Quia ergo in sic dicto *hydrope sicco*, seu tympanite etiam corpus tumet, licet ab aere, (vt creditur,) hanc ob causam hydropis speciebus annumerarunt, attamen etiam perperam; intumescencia enim hic non esset effectus aquarum, sed aëris. Notas ergo non habet characteristicas, quae in definitione ab hydrope praedicantur, et vera est contradictio in adiecto. Hoc unicum tantum addam discrimen, hydropem modo esse uniuersalem cum tumore, qualis est anasarca, modo particularem vel cum tumore, qualis oedema pedum, vel sine tumore, qualis hydrops cerebri.

§. IV.

Diagnosıs et signa morbi imminentis et praesentis.

Quod ad hydropis attinet diagnosin, mox facilis, mox difficilis est, et propter specierum diuersitatem, et alios morbos, qui quandoque hanc, vel illam speciem mentiuntur. Quidam enim hydropes facile dignoscuntur, quia sunt manifesti propter tumorem mollem fluctuantem, vt anasarca, hydrocephalus externus, aut melius, oedema capitis, pedum oedema. Quarundam vero specierum diagnosin arduam, et minus firmis esse stipatam coniecturis, non est diffitendum, vt hydropis cerebri, vteri etc. quia hae species ita sunt occultae, vt saepe non, nisi post sectionem pathologicam, innotescant et dignoscantur. Porro quandoque ascitis prae se ferunt speciem nimia vesicae vrinariae expansio, cuius historiae mentionem fecit ADOLPH. MURRAY^{b)}, et tumores scirrholi in mesenterii membranıs. Verum

A 3

enim

^{b)} ADOLPH. MURRAY, Prof. Vpsal. diss. de paracentesi cystidis vrinariae. pag. 19. seqq.



enim vero si circumspiciamus symptomata, aliquo tamen modo hic morbus per pedum oedematum, faciei luridae, urinae secretionis imminutae et scroti tumoris absentiam, ab ascite distingui potest. Sic etiam puris effusio in cavitatem thoracis mentitur hydropem pectoris, quia potiora huius symptomata cum hoc communia habet; fluctuationem nimirum, impeditam respirationem, anxietatem, tussim etc. Distingui autem potest per dolorem intolerabilem, pus enim diuturniori mora acre factum, nerveos diaphragmatis processus vehementer lancinat, per sudores colliquativos et febrem hecticam, quae symptomata hanc puris effusionem comitantur. Non possum, quin adferam exemplum memorabile, quod ELLERVS ^{c)} exhibet, scilicet extravasationem sanguinis ex omento eiusque collectionem in cavo abdominis, quae ipsum ELLERVM in iustam ascitis ducebat suspicionem, ut denique, quia omnia symptomata hydropsis aderant abdominis, de illius praesentia plane non amplius dubitaret ad mortem usque aegroti, postquam morbus a medio mensis Iunii ad diem decimum quartum Augusti durauerat, ubi vero cadaueris sectio alius morbi praesentiam eum docebat, quia post peritonaei incisionem aquarum loco sanguis verus profluebat.

Signa, ex quibus imminere hydropem suspicari licet, sunt parca urinae secretio, appetitus prostratio, evidens partium se- et excretionum inferuentium quaevis destructio, abusus potuum spirituosorum, excretiones tam naturales, quam adsuetae retentae, haemorrhagiae cuiuscunque generis profusae etc. Praesens vero est hydrops, si varii tumores oedematosi in corpore apparent, plerumque in pedibus et facie, quae si colore obducitur pallido, liuido, et mox fit hippocratica. Denique respirandi difficultas, dyspnoea et orthopnoea, sitis magna

c) Medicinische und chirurgische Anmerkungen. pag. 138 - 144.

gna sine causa manifesta et fluctuatio aquarum diagnosin hydropis omnibus numeris absoluunt.

§. V.

Symptomata.

Diuerfa sunt symptomata secundum diuersam hydropis speciem, illiusque diuersam, quam infert, functionum laesionem. Quaedam enim plurimis speciebus communia, quaedam vero huic illiue tantum speciei propria sunt. In communium numero habentur tumor et pondus, lassitudo corporis, appetitus prostratus, a copia aquarum molesta respiratio, sitis inexplebilis, cuius causam impeditum ad has ipsas partes lymphae motum circulatorium esse putat POTERIVS ^{d)} quem propter stagnationem habere nequeat, quam vero AVICENNA ^{e)} humorum salforum et acrium esse credit effectum, quare etiam GALENVS ^{f)} humoris falsi euacuationem sitis remedium in hydrope pronunciat; et SYDENHAMVS ^{g)} dicit „Sitis est a putredine colluuiei ferosae et acredine.“ Porro tussis sicca ab humorum acrimonia, et a sanguinis feri, quod per ductus vrinarios ex lege naturae excerni debeat, ad cauitates depositione vrina pauca ^{h)}, cutis sicca, aluus adstricta, anxietas, vigiliae, febris lenta, haemorrhagiae, quae partim obstructionum viscerum, partim vero humorum putredinis sunt effectus. Singularia autem symptomata specierum hic praetereo, et in earum pertractationis tempus referuo.

§. VI.

d) POTERII Observat. Obs. 151.

e) XIV. 3. Tract. 4. Cap. 9. et II.

f) De facultat. natural. Cap. 9.

g) Tom. I. pag. 334.

h) SYDENHAM. l. c.



Causae hydropis.

Schola Medicorum Galenica laesam viscerum sanguificationi inferuentium functionem hydropis causam vniuersalem accusat, in quorum numero imprimis habet hepar, quod nimirum vapidum sanguinem laudabilis loco, omnem partium nutrientium assimilationem et appositionem respuentem, elaboret, qui vel per anastomosis, vel diapedesis, vel diaeresin ad varia corporis loca e vasis deponatur. Sic etiam SENNERTVSⁱ⁾, licet ab antecessorum sententia paulo recedat, in anasarca tamen sanguinem per iecinoris dyscrasiam aquosiorum et frigidiorum procreari, et hinc ad superficiem corporis deponi, putat. Vt omittamus argumenta, ex quibus hepatis functio in sanguificatione a Physiologis iam diu est concussa et explosa, ea tantum dubia, quibus ipsum Galenicorum dogma circumdatum est, ad rationem perpendere volumus, ad quae ipsimet Galeni Commentatorum dissensus viam aperit. Quidam enim dyscrasiam hepatis tanquam hydropis causam instrumentalem inuenire credunt in intemperie frigida, alii vero in calida, vt GVARINONIVS et ALEX. TRALLIANVS, alii in calida et sicca, vt CARDANVS et PLATERVS. Quodsi vero eiusmodi hepatis intemperies causam hydropis debeat constituere, quaestio merito ponenda est; Vtrum non semper fere in hoc casu hepatis structura necessario valde mutata et labe notabili affecta et deuastata esse deberet? Cuius contrarium autem cadauerum sectiones hydrope extinctorum satis euincunt, quia hepar frequentissime omni conditione praeternaturali immune deprehensum est, circa quod veteres in cadauerum inspectione iam attenti fuerunt, vt ex relationibus TVLPII^{k)}, THOM.

i) Lib. III. Part. 6. Sect. 2.

k) Lib. II. obs. 32.

BARTHOLINI^{l)}, PASCHALII^{m)}, RHODIIⁿ⁾, LAZ. RIVERII^{o)},
 CORDAEI^{p)} DAN. HORSTII^{q)}, patet. Praeterea saepe ex cale-
 facientium, plerumque spiritus vini abusu hydropem esse exortum,
 probe cognitum et compertum habemus, cui DODONAEVS^{r)} etiam
 suffragatur, quem refrigerantium vsus secundum EVNDEM^{s)} HOR-
 STIVM^{t)} et SCHMETIVM^{u)} depulit. Prostant quoque exempla,
 vbi ab euidenti causa, sine omni apparatu morbofo, hydrops enatus
 fit, qualia habet WEPFERVM^{x)} et SYLVIVS^{y)}, a potu scilicet nimis
 frigido, in nimia corporis exaestuatione assumto. Inficiari quidem
 non possumus, quandoque inordinatam aquosarum partium, nimia
 copia assumtarum, se- et excretionem in renibus aliisque locis emun-
 ctoriis, vel quaeuis circa renes impedimenta mechanica, aliosque eo-
 rum affectus, qui vrinae secretionem euertere valeant, nostrum cor-
 pus hydropicum reddere, et quosdam abstinentia a potu hunc mor-
 bum depulisse, testantibus LAZ. RIVERIO^{z)}, ALEX. MASSARIA^{a)},

PANA-

l) Cent. III. hist. 2.

m) De morb. med. I. Cap. 34.

n) Cent. III. obs. 4.

o) Obs. comm. pag. 315.

p) Comm. V. l. I. de morb. mulier.

q) Lib. IV. obs. 47. pag. 239.

r) Obs. 13.

s) DODONAEVS l. c.

t) L. c.

u) Misc. L. VIII. epist. 4.

x) De apoplexia, pag. 285.

y) Pr. L. I. Cap. 17.

z) Obs. comm. pag. 323.

a) Lib. III. Cap. 116.

B



PANAROLO ^{b)} BENIVENIO ^{c)}, nihilominus tamen hanc causam afferere possumus vniuersalem, licet J. BAPTISTA VAN HELMONT theoriam; Hydropis causam in renibus potius delitescere: denuo in scenam reducere conaretur. Ex ea enim, quae ipsius erat arrogantia, quia, cum PARACELSVM sectaretur, sese per ignem Philosophum nuncupare voluerit, vt ex libro, qui inscribitur *Philosophia Aristotelis et Galeni ignara*, patet, neque se vnicum verum, a Deo ipso conditum, Medicum pronunciare dubitauerit, nouam sectam conflandi flagrabat cupiditate. Perfringebat Medicos, et diligenter ea agitabat, quae tamen in omnibus Medicorum scholis recepta non erant, eaque ab aliis iam ante HELMONTIVM reiecta et explosa. Si in doctrinam eius inquiramus, admirabilem cuiusdam Architecti vim, quem Archaeum vocat, edocemur. Hunc in omnium rerum seminibus, quae somniauit, quaeque tunc nomine fermenti insigniuit, certis locis affixis, vel vbique dispersis, praesentem statuit, qui omnes actiones bene vel male dirigat, perpetuoque corpori praesideat, non solum procreationis operis gubernacula teneat. Cum vero Archaeum causarum fontem omnium rerum continere, idque nosse, iam sufficere, reretur, atque ideo de veris causis inuestigandis non esset sollicitus, praecepta physiologica et pathologica inconcinnis et a re alienis dogmatibus, in quibus iratus Archaeus, tanquam ἀρχων cohortem detestabilem praecedens, familiam ducit, inquinabat. Sic hydropis causam renis Archaei indignationi attribuebat, ex qua laticem vrinosum non admittat, vel eum a massa sanguinis plane non secernat, quando sanguis aduectus in fermentationem abiisset, eumque irritasset, id quod patet ex ipsius verbis ^{d)}; „Tu latex non vadis, quo te velim mittere ad eluendum

b) Pent. IV. obseru. 38.

c) De abdit. morb. caus. Cap. 13.

d) HELMONTII ign. hydrop.

endum cruorem extravenatum, ego (*Archaeus* scilicet,) te non dimittam per consuetos vretes."

§. VII.

Causa hydropis proxima.

Hydrops oritur vel ab exhalatione nimia, vel impedita resorptione vasorum arteriosorum et venosorum, aut lymphaticorum, vel repulsionem et extravasationem lymphae ac feri tam laudabilis, quam excrementitii. Causa itaque hydropis proxima triplex esse videtur; nimirum *debilitas, obstructio et imminuta impeditaque se- et excretio urinae.* Iam progredior ad disquirendam causam proximam;

§. VIII.

I. *Debilitatem, quatenus hydropes cieat.*

Non inficiari possumus, per saepe solam debilitatem, seu atoniam partium nostri corporis hunc morbum ingenerare, id quod etiam fere ab omnibus ratum habetur. Quodsi enim causas inquiramus praegressas, animaduertemus, nullas saepe alias fuisse, quam debilitantes. Ideo plerique hydropes post praegressas haemorrhagias largas, haemorrhoides profusas, et menstrua nimia, post apoplexias, membra paralytica relinquentes, quae fere omnia tumorum hydropicum obtinent propter tonum amissum et remanentem fibrarum debilitatem. Porro post alui profluvia chronica, aliosque morbos obseruantur. Ex hac oeconomiae animalis oritur functionum segnities. Quemadmodum enim fluidorum motus dependeat a motu solidorum, necessario ob horum atoniam humorum circuitus imminuitur, non rite ergo miscentur, omnes se- et excretiones ex hac causa legitimo modo procedere nequeunt, et deficit tandem fere omnis resorptio. Haec omnia



fatis declarant, qua ratione *debilitas* hydropes producere valeat, id quod etiam Cl. BOERHAAVE in Aphorismis ^{e)} erudite sciteque exposuit. Praeterea etiam hoc colligitur ex medicamentorum indole, e quibus, aquis euacuatis, ratione effectus, roborantia in omni hydrope praepollent. Restituunt enim robur amissum, et exinde nouam aquarum effusionem impediunt. Libenter quidem fateor, in hydropticorum cadaueribus viscerum indurationes et obstructions plerumque comparuisse, at non semper, et saepe adsunt sine vlllo hydropis vestigio. Et fingamus etiam, in omnibus cadaueribus hydropicis adesse indurationes et obstructions, quaeritur adhuc; vtrumne fiat potius effectus debilitatis? Hoc disertis verbis affirmat FR. HOFFMANNVS ^{f)} „Ex motu, dicens, liquidorum impedito et retardato decubitus humorum, infarctus, obstructions, indurationes, item corruptiones viscerum fiunt: adeoque peruicaces et chronicae passiones ex nimia atonia partium progignuntur.“ Minime quidem euincam, ad hydropis generationem totius corporis debilitatem esse necessariam, alias enim in omnibus cachecticis oriri deberet, id quod autem refragatur experientiae, sed particularis, inprimis vasorum lymphaticorum, debilitas huius morbi causa est iam sufficiens. Vt enim ventriculi vires interdum aliquo modo franguntur, reliquis partibus optimum robur retinentibus, ita quoque vasa lymphatica obtinere possunt imbecillitatem, propter vim vitalem imminutam, et ex particulari etiam vasorum imbecillitate hydropum particularium ortum commode satis explicari, credo. Hanc autem omnia vasa denique participare possunt, quemadmodum sola ventriculi debilitas omnes reliquas partes in consortium trahit.

§. IX.

e) Aphor. 41-44. et 1168-1170.

f) Med. rat. syst. Tom. II. pag. 63. §. 25.



II. Obstructionem.

Huius sedes varia est, et partim a fluidorum, partim vero etiam solidorum conditione morbosa producitur. Quod ad fluida, huc potissimum consideranda venit spissitudo lymphae praeternaturalis, ex qua ad vasa lactea, et ad ipsa vasa sanguifera non rite ac promte satis vehi potest. Tali modo morbi chronici, icterus mensium suppressio &c. corpus ad concipiendum hydropem idoneum reddunt, quia saepe lymphae cruditates et spissitudinem pro causa agnoscunt, quam potissimum aëris frigidi simulque humidi etiamque thermarum condensantium abusus, et aquarum vapidarum palustrium effectum esse dicit HIPPOCRATES ^{g)}. Et sicuti vim spiritus vini in coagulatione humorum ROBERT BOYLE ^{h)} et J. BOHNIUS ⁱ⁾ per experimenta vberius demonstrarunt, pari etiam ratione in numerum causarum, humores lymphaticos condensantium, spiritus vini abusum, tanquam hydropum genetricem in Belgio DEEKER ^{k)}, et in Anglia LISTERVS ^{l)}, receperunt. Pari modo solidorum vitiosa conditio ad obstructions facit, praecipue autem, ut iam innui, debilitas, qua fluidorum motus retardatur, vnde in vasis stagnant et viscera infarciunt atque obstruunt. Serum a sanguine separatur, quod ad vasa lymphatica regurgitat nimia copia, eaque distendit ad rupturam vsque, vnde ascites oedematofique tumores enascuntur. Ita ex obstructione hepatis, per atoniam producta, hydropes incunabula trahunt, quia motus naturalis et sanguinis et lymphae in illo intercipitur, quare humores ad vasa

B 5

abdo-

g) Aphor. Sect. III. aph. 22. Lib. V. epidem t. 4. De aere aquis et locis t. 10. et II

h) Hist. Sanguin. experim. 8.

i) Aët. Erud. An. 83. Mens. April.

k) In Pr. Barbetti Lib. IV. Cap. 4.

l) Exerc. de morb. chron. pag. 5. 6. 7.



abdominalia recedunt eaque dirumpunt^{m)}. Cum enim praeterea sanguinis transitus fere per nullum viscus sit difficilior, quam per hepar, propter minus sufficientem pulsum et impulsum vasorum, ad illud advehentium, quia potiora sunt venae; facile hinc intelligi potest, cur huic visceri obstructions et infarctus familiares eveniant, et ideo in hoc hydropis fons et scaturigo saepe resideat. Forsitan haec fuit ratio, cur veteres hepatis affectiones hydropum causam vniuersalem agnouerint, quia in eiusmodi cadaueribus saepe manifesta hepatis vitia adfuerunt. Attamen Cl. WERLHOFIVSⁿ⁾ non dubitat, quin hydropes, praecipue ouarii, sine hepatis vitio oriri possint, licet etiam credat, partes nostri corporis ex vitio hepatis hydrope affici^{o)} sed ob propriam, inquit, constitutionem lymphaticae congestioni et depositioni extra vasa expositas. Atque eodem modo vicissim ouarium primitus laborans, suae corruptionis cum reliquo corpore communicatione ipsum hepar aliaque viscera disperdere potest. Et si hepatis vitium in hydropicorum sectione reperiatur, ne semper quidem pro causa aut effectu hydropis haberi potest, sed saepe pro effectu secundario eiusdem causae, quae hydropem ingenuit, quia vitiosa seris qualitas, quae lymphatica ouarii vasa praeter naturam affecit, hepati etiam similem aliamue labem morbosam pro re nata imprimere valet.^{o)} WERLHOFII sententiam confirmat obseruatio, quam relatam legimus in singulari scripto, cuius auctor est HVTH^{o)} qui hepar in eiusmodi cadaueris inspectione sanum inuenit. Qui autem legere gestit; Num detur hydrops iecore saluo? euoluat SALIUM^{p)}, GREG. HORSTIVM^{q)}, et MERCATVM

^{m)} FR. HOFFMANN. l. c. Tom. III. pag. 126. §. 10.

ⁿ⁾ Op. med. Tom. II. pag. 777.

^{o)} Diss. de casu virginis hydrope ouarii extinctae cum analysi annexa, Argent. 1768.

^{p)} De affect. particular. Cap. 9.

^{q)} Lib. VII. de hist. mirab. Cap. 7.

¶ v m *) qui de hac re disputarunt. Eadem, ac hepatis, est vteri conditio, quia pari modo sanguinis per vterum regressus est difficilis, vasa itaque obstruuntur, et feri effusio facilis redditur. Idem est effectus obstructionum glandularum mesenterii. Notatu digna est hydropis causa, cuius meminit RHODIVS MANTISSA †) venae cauae scilicet coalescentiae, quam in femininae hydropicae cadauere inuenerat. Non solum vero debilitas, sed etiam spasmus obstructions procreat, quo nimirum aequae lymphaticorum humorum, ac sanguinis circulus praepeditur, ita, vt vasa nimis turgescant, indeque feri ac lymphae effusiones in cavitates fiant. Quare HOFFMANNVS †) „iam facile, dicit, intelligi potest ratio, quare asthma spasmotico, validissimo effectui, testantibus id sectionibus, nonnunquam non pectoris vel etiam pericardii hydrops iunctus offendatur.“

Denique ad hydropem faciendum valent cuiuscunque etiam generis tumores circa vasa et viscera nobiliora, vt pulmones, pancreas, renes horumque indurationes, quod non pauca testantur exempla †).

§. X.

III. Imminutam vrinæ se - et excretionem.

Quodsi clarissimorum Virorum obseruationes spectemus, haec vitia saepe hydropis fontem continere, iam satis euincunt. Sic enim

OLAVS

*) Lib. IV. de morb. intern. Cap. 6

†) Anat. obs. 21.

‡) l. c. Tom. II. pag. 71. §. 12.

§) DOMINIC. PANAROLVS, Pent. IV. obs. 24. PISO, de morb. intern. ab illuue serosa Cap. 3. FORESTVS, Lib. XIX. obs. 14. HORSTIVS, Lib. IX. obs. 13. et XI. obs. 7. RONDELETIVS, P. pag. 35. RIVERIVS, Cent. II. obs. 53. Misc. nat. cur. Dec. I. An. IV. obs. 148. SCHENCKIVS, Lib. II. de hydrope, obs. 6. 7. 10. TVLPIVS, Lib. II. obs. 33. HECHSTETERVS, Dec. X. obs. 7. SYDENHAMVS l. c. de hydrope, pag. 334.



OLAVS BORRICHIVS ^{x)} mentionem fecit hydropis, qui, vretere dextro a calculo obstructo, et rene sinistro penitus destructo, ab urinae effusione originem traxerat, HOLLERIVS ^{y)} et PLATERVS ^{z)} utroque rene exulcerato et exeso ac vesica rupta. Interea autem, si ex phaenomenis morbum antecedentibus eumque comitantibus et medicamentorum effectu ad indolem eius aliquid concludere liceat, iure meritoque affirmare posse mihi videor, potissimum asciten lotii retenti saepe esse effectum, quia eum semper antecedit urinae retentio, quia aquarum euacuationum nec non sudoris, subinde superuenientis, odor et color est urinosus, quia aeger bene se habet, si multum, et male, si parum urinae excernitur, et quia diureticorum usus in hydrope eximius est, quorum in hoc morbo praestantiae testimonia Clarissimi Viri reliquerunt ^{a)}. Praeterea cum notum habeamus, persaepe metastases, quas Cl. HALLERVS ^{b)}, NONNE ^{c)} et SCHLEGEL ^{d)} vberius exposuerunt, contingere, non est, quod dubitemus, quin hic morbus ex hoc fonte possit deriuari. Causa plerumque spasmus est, qui, quia partes urinam se et excernentes constringit, urinae fluxum plane intercipit, et latex retentus vel ad massam sanguinis regurgitat, vel ob nimiam accumulationem ipsius receptacula disrumpit; quibus etiam respondet FR. HOFFMANNI sententia ^{e)} „in pertinaci,

^{x)} In epist. ad BARTHOLINVM Cent IV. epist. 17.

^{y)} De morb. intern. Lib. I. Cap. 39.

^{z)} Prax. Lib. III. Cap. 3.

^{a)} Vid. J. WIERVM, Lib. III. de praestig. daemon. Cap. 3. REINER. SOLENANDRVM Sect. V. consil. 15. HIPPOCRATEM Lib. IV. acut. text. 122. Lib. de intern. affect. et Lib. de morb. mulier. Num. 94. VALASCVM de TARANTA Lib. IV. simpl. 18. PASCHALIUM meth. cur. morb. Cap. 44. DIOSCORIDEM Lib. II. Cap. 54.

^{b)} Collect. diss. select. Tom. II. et VIII.

^{c)} Diss. de enuresi. Erford. 1768. pag. 6. et 10.

^{d)} Diss. de metast. in morb. Ianae 1771. pag. 50.

^{e)} L. c. Tom. II. pag. 70. schol. ad §. 9. in quo conspirat etiam §. 10. l. c.

dicens, urinae ex spasmorum vehementia suppressione copiosus ille falsus liquor, ad interiora viscera regurgitans, et in pulmonibus subsistens, oppressionem respirationis, vel etiam pectoris hydropem ingignit.“ His accedit VERZASCHAE ^{f)} observatio hydropis pectoris ex ischuria, TIMAEI ^{g)} et RVYSCHII ^{h)} urinae effusionis in telam cellulofam, et apud MARCELL. DONATVM ⁱ⁾ vrinofum totius corporis oedema relatum legimus, ideoque etiam SAVVAGESIVS in numero morborum habet anasarcam vrinofam et ascitem vrinofum. Non solum autem spasmus se - et excretionem urinae impedit, sed quoque calculi, qui vreteres et vrethram oppilant, ipsaque renum destructio, quod testantur ROLFINKIVS ^{k)}, BEVEROVICIUS ^{l)}, GVALTH. VAN DOEVERN ^{m)}, LOTICIVS ⁿ⁾ BARTHOLINVS ^{o)}, et BLVHMIVS ^{p)}, atque rupturae vretorum ^{q)} ac vesicae, quae a lotii accumulatione oboriuntur ^{r)}. Multae adhuc aliae sunt causae, quae urinae se - et excretionem euertere valeant, quibus omnibus superse-

deo,

f) Obs. med. 2.

g) III. Cas. 28.

h) Cent. obs. med. chirurg. n. 56. ZACH. VOGEL anatomische, chirurgische und medicinische Beobachtungen, pag. 112.

i) Hist. mirab. Lib. X. Cap. 28. Eph. Nat. Cur. An. V. Dec. II. pag. 336.

k) Lib. IX. Consil. I.

l) Spicil. de calc. pag. 204.

m) Specim. observat. acad. etc. Groeningae et L. B. 1765.

n) Lib. IV. Cap. I. obs. 2.

o) Cent. IV. epist. 17.

p) Diss. de ischuriae causis. Helmst. 1736. pag. 24. not.

q) HELWIGII obs. physico-med. obs. 3.

r) Vid. FEYERI PAEON. et PYTHAGOR. exerc. pag. 60 PARSONS pag. 21. apud HALLERVM Collect. diss. select. Tom. VIII. pag. 419. DE WITTE diss. de ischuria L. B. 1717. pag. 19. Eph. Nat. Cur. Vol. VI. obs. 28. ROONHVYSEN obs. chir. P. I. obs. 4.



deo, quia ischuriae causas persequerer, si earum iadagationi insisterem, quod autem finis huius orationis interdicit.

§. XI.

Causae remotae

Harum causarum, quas experientia satis idoneas hydrophi gignendo declaravit, magnus est numerus, quasque omnes profuse tradam. Quod ad causas attinet praedisponentes, SYDENHAMVS *) iam monet, omnem hominum aetatem, sexum omnem ab hydrope nonnunquam infestari, feminas tamen huic morbo magis esse obnoxias, quam viros. Plerumque vero phlegmatici, pituitosi, obesi, plethorici et nimio litterarum studio indulgentes ad hunc morbum dispositi sunt, neque dubito, quin in hoc etiam morbo dispositio connata locum habere possit. Etenim cum cognitum habeamus, ad hydropem producendum solam iam sufficere imbecillitatem, eodem iure possumus etiam asserere, eam debilitatem, quae a debilitatis parentibus primo germini foetus inseritur, ad connatas pertinere dispositiones, quamque ergo ad hydrophis genesis etiam facere. Minime affirmabo, infantes parentum hydrope extinctorum hydrope etiam afficiantur, necesse esse; neutiquam: a phthisi enim corripri possunt, aliisque morbis, secundum diuersam, quam debilitas occupat, sedem, modo in hac, modo in illa corporis parte, primariam, et vice versa in hydropem obtinere possunt, quorum parentes phthisi laborarunt. Multo adhuc frequentior est numerus causarum occasionalium, in quarum mentionem imprimis incidit aer humidus, frigidus. Solida enim relaxat, humorum circuitum et transpirationem impedit, et cutis resorptionem adauget †). Praecipue ex morbis exanthematicis, imprimis vero scarlatina conuale-

scen-

*) L. c. Tom. I. pag. 333.

†) BOERHAAVIJ institut. medic. pag. 340. §. 748.

scitibus inimicus est aer frigidus, qui statim hydropem illis contrahit, nisi cane peius et angue eum fugiant; quem DEREBECQVE post variolas etiam obseruauit. Grauius autem peccat ad hunc morbum producendum abusus potuum spirituosorum, et sine dubio vtraque haec causa est, ob quam in Anglia tam frequens sit hydrops. IOHN LEAKEⁿ⁾ enim scribit, Londini per singulos annos nongentos circiter homines ab hydrope interire. Iam LISTERVS^{x)} hydropicorum frequentiam, per Angliam tunc obseruatam, potuum spirituosorum ingurgitationibus tribuit, et reliquas hydropis causas suo tempore rariore fuisse, testatur. Atque haec optime cum SYLVII^{y)} et PECHLINI^{z)} sententia conueniunt, nec non CASP. HOEFMANNI^{a)}, qui „ne longe, dicit, abeam, spiritus vini nostras, seu ex fecibus factus, seu ex tritico speltaue, seu ex baccis iuniperi, tam est infestus hepatis, ut duorum triumue mensium spatio hydropem fecerit, qui omnibus funestus fuit.“ Quare hic morbus plerumque familiaris est bibacissimis heluonibus^{b)}, quos vero statim ac derepente ab usu spirituosorum liquorum arcere minime tutum erit, monente SYDENHAMO^{c)}, sed sensim sensimque, quominus e contrario subita interdictio hydropi viam sternat. Subiungimus his intempestiuum potum frigidum post corporis praesertim validam agitationem, et quocumque modo exortam aestuationem, vbi humorum circulus valde auctus, et omnia corporis orificia exhalantia quam maxime hiant, qui, nisi sit statim mortis causa, qualia exem-

C. 2

pla

- ⁿ⁾ Anleitung zu der Verhütung und Heilung der chronischen Krankheiten des weiblichen Geschlechts. Leipzig 1778. pag. 283.
^{x)} Exerc. de hydrope pag. 2.
^{y)} Lib. I. Prax. Cap. 10.
^{z)} Lib. II. Obs. 38.
^{a)} In praefatione de medicament. officinal.
^{b)} EYSEL diff. de ebrietate assidua hydropis causa, Erford. 1701.
^{c)} Tom. I. pag. 169.



pla habent HIPPOCRATES, ^{d)} DIOSCORIDES ^{e)} SCALIGER ^{f)} et BENIVENIVS ^{g)}, grauiſſimorum tamen morborum, inprimis hydropis, fit genitrix, vt GALENVS ^{h)}, CELSVS ⁱ⁾, et AVICENNA ^{k)} inculcant. Neque hic praetereunda exiſſimo excreta et retenta. Quanta enim ſit horum exceſſus et defectus in faciendo hydrope poteſtas, nimis certe frequente obſeruatione facile compertum haberi poteſt. Oritur itaque ex ſudoris ſuppreſſione, nimiis menſtruis et lochiis ^{l)}, iisque cohibitis ^{m)} haemorrhoidibus ſuppreſſis ⁿ⁾ et profuſis ^{o)}. Elegantiſſime inprimis et accurate huius morbi, et multorum aliorum originem ex his vitiis iam demonſtrauit acuti vir ingenii ALZARIUS a CRUCE ^{p)}. Eandem ſtruit calamitatem venaefectio nimia, eaque po-
tiffi-

d) Lib. VI. epid. Sect. VIII. text. 89.

e) Lib. VI. Cap. 34.

f) Exercit. XXXII. num. 2.

g) Lib. de abdit. morb. cauſ. Cap. 16.

h) Lib. V. de loc. affect. Cap. I. et Lib. de ſalubr. diaet. comm. 12.

i) Lib. I. Cap. 3.

k) Part. II. Canticor. num. 31. de potus frigidi poſt exercitationes effectu exitiali, et Lib. de remouendis nocumentis in regimine ſanitatis Tract. III. Cap. 9. de nocumento aquae frigidae in balneo, et Cap. 15. ſic ait „potare in balneo rem aliquam frigidam eſt timorofum valde. Quoniam res frigida, quando peruenit ad ſtomachum in balneo, in quo iam porofitates ſunt apertae, et meatus reſtificati et aperti, ſubito at- trahitur ad hepar et cor, quare inſrigidantur ambo, aut debilitantur caliditas naturalis et omnia viſcera, ac diſponuntur ad hydropiſin.


l) PLATNERI ars med. §. 290.

m) GALENVS Lib. II. de facult. natural. Cap. 8. et Lib. VI. epid. Sect. V. Comm. 29. HILDANVS Cent. V. obſ. 41. STAHLIVS, Colleg. caſual. pag. 627. Miſc. N. C. Dec. II. An. I. obſ. 79.

n) HIPPOCRATES, Aphor. Sect. VI. aph. 12. ALPINVS, Medic. method. Lib. II. pag. 371. STAHLIVS l. c. pag. 161. 166.

o) AVICENNA, XXI. 3. tract. 3 Cap. 2. GALENVS Lib. VI. de loc. Cap. 5.

p) Lib. I. Centur. Cap. 3.


 cissimum, vt SYDENHAMVS ^{q)} tradit, in podagra statim a paro-
 xysmo instituta, neque minus enormes haemorrhagiae in abortu, a vul-
 neratione graui etc. ^{r)}, diarrhoea nimia ^{s)}, dysenteria ^{t)}, et omnia,
 quae excretiones cohibent, vt minus recte adhibitus vsus adstringen-
 tium ^{u)}, de quo illud quoque asseuerat AETIVS ^{x)} „adstrictis enim,
 dicens, locis, aut nobiliora membra inuadunt molesta excrementa,
 aut retenta in malum habitum aut hydropem laborantes ducunt.“ Me-
 moratu porro dignissimum videtur, homines in hunc morbum quoque
 incidere ex terrore, quod multis constat obseruationibus ^{y)}, neque mi-
 nus ex variis morbis, vt non raro ex quartana ^{z)}, tertiana nimis diu-
 turna ^{a)} et subito suppressa ^{b)}. Quodsi enim diu durent febres inter-
 mittentes tertianae et quartanae, frequenter, frustra etiam contraniten-
 tibus medicis, cachexiam, scorbutum, et tandem hydropem difficul-
 ter curabilem post se relinquunt, quod iam tum ex Graecis HIPPOCRA-
 TES, ex Latinis CELSVS indigitauit. Quae sunt verba MEIBOMII ^{c)}.

C 3

Plu.

- ^{q)} L. c. pag. 309. et 310.
^{r)} HOFEMANNVS, l. c. Tom. III. pag. 226. §. 6.
^{s)} PLATNERVS, l. c. §. 498.
^{t)} ELLERI medicinishe und chirurgische Anmerkungen, pag. 127.
^{u)} STAHLIUS l. c. pag. 48. et 49.
^{x)} Lib. XVI. Cap. 66.
^{y)} SCHNEIDERVS, Lib. V. de catarrho Cap. 4. pag. 301. BARTHOLI-
 NVS, III. hist. 41. pag. 82. SENNERTVS Lib. III. Prax. P. V. Sect. II.
 Cap. 4. pag. 567. Lib. V. P. IV. Cap. 3. pag. 374. Lib. VI. P. II. Cap.
 4. pag. 78. Act. Medic; P. I. Cap. 3. SCHENCKIUS, Lib. VI. pag.
 728. HILDANVS, Lib. I. obs. 17. et 18.
^{z)} GALENVS, Cap. 7. Aphor. 55. Lib. II. in loc. affect. Cap. 3. et Lib.
 IV. Aphor. II. IOH. LANGIUS, in epist. 39. pag. 142. epist. 48. pag.
 175. PLATNER, l. c. §. 113. ELLER, l. c. pag. 76.
^{a)} PLATNER l. c. §. 100. PRINGLE, Krankheiten der Armee p. 215. et 253.
^{b)} ELLER, l. c. pag. 74.
^{c)} Diss. de febr. intermitt. epid. §. 37. et de hydrope ascite §. 37. et 59.



Plures vero incidunt in cachexiam, anasarcam, et oedematosis pedum afficiuntur tumoribus, iam finita febre intermittente, propter nimiam humidi frigidi ingurgitationem, ut tradit LUDOVICVS MERCATVS ^{d)}, ad cuius asserti confirmationem facit obseruatio notata in *Misc. Nat. Curiosor* ^{e)}. Tandem asthma etiam hydropi viam aperit ^{f)}, et LVDOLF a vermibus ^{g)}, STAHLIVS ab ictero ^{h)}, et HOFFMANNVS ab exanthematibus retropulsis, tinea capitis, scabie etc. ⁱ⁾ hunc morbum originem trahere, testantur. Hae sunt praecipuae, mea quidem sententia, causae, quae, secundum obseruata certiora, hydro-
pem ciere solent.

§. XII.

Prognosis generalis.

In genere tristis est. Nam HIPPOCRATES ^{k)} „morbus, aī, grauis est hydrops, et pauci hunc effugiunt.“ Interea hoc effatum *Hippocraticum* nititur tamen circumstantiis, quae variant hunc morbum. Recens enim plus spei alit, quam inueteratus, et semper dispar est euentus pro diuersitate causarum plus minusue pertinacium. Vix erit itaque, qui dubitet, leucophlegmatiam ex transpiratione suppressa post morbos exanthematicos, neque minus ex sola debilitate ex morbis supersite, ortam, saepe sanari, cum testem habeamus experientiam, id quod alio quoque tempore, visceribus adhuc integris, expectare

d) Lib. I. de recto praesidior. usu, pag. 50 et 55.

e) Dec. I. An. VI. obs. 52.

f) HOFFMANNVS l. c. Tom. III. pag. 234. §. 17. PEZOLD obs. 77. Misc. N. C. Dec. III. An. III. obs. 65.

g) Diss. de hydrope a vermibus causato. Erford. 1748.

h) L. c. pag. 625.

i) L. c. Tom. III. pag. 183. §. 20.

k) Lib. de intern. affect. pag. 27.

pectare possumus, Hac in re egregie consentit mecum AVGVST. VOGELIVS ^{l)}, cuius verba sunt; „Pedes ex omni morbo febrili fere intumescunt: neque vero id periculosum, quum sub exercitatione et recuperatis viribus sponte rursus extenuantur.“ Et ipse *Cous senex* testatur ^{m)}, alui fluxum aquosum, citra cruditatem contingentem, hydropem incipientem solvere. E contrario autem pronunciat etiam ⁿ⁾, alui fluxus impetuosiores hydropicis esse lethales. Cum vero diaeta bona ad hunc morbum sanandum multum conferat, CELSVS ^{o)} scribit, „facilius tolli hydropem in feruis, quam in liberis.“ Hi enim genio suo indulgent, neque Medicorum monitis obtemperant, omniaque mollis ac deliciosa lingua respuit Medicamenta. „Quare, quum malum, vt *Auctor* eloqui pergit, desideret famem, sitim, mille alia taedia, longamque patientiam, promptius his succurritur, qui facile coguntur, quam quibus inutilis est libertas.“ Interea malum inueteratum fere nunquam admittit medelam, et, licet etiam curatum fuerit, saepe tamen recurrere, testem citamus experientiam. Omen valde periculosum vrina pauca, crassa et rubicunda ^{p)}, etiamque tussis superueniens ^{q)}. De eo autem est desperandum, qui conuulsionibus corripitur, febricula continua tenetur, et cui recidiva accidit ^{r)}. Quandoque vlcera in corpore oriuntur, quae sunt immedicabilia ^{s)}, quaeque in gangraenam deni-

l) De cognosc. et. curand. morb. §. 654.

m) III. Coac. 285.

n) Lib. IV. de morbis Sect. 34.

o) Lib. III. Cap. 22.

p) HIPPOCRATES, III. Coac. 284. WILLISIVS, Pharm. rat. P. II. Sect. II. Cap. 3.

q) HOLLERIVS, de morb. intern. Cap. 39. schol. SENNERTVS, Lib. II. P. VI. S. II. Cap. 3. HIPPOCRATES, Aphor. S. VI. aph. 35. S. VII. aph. 47.

r) HIPPOCRATES, III. Coac. 287. et 288. WALLAEVS, Medic. omn. pag. 188. SENNERTVS, et HOLLERIVS l. c.

s) HIPPOCRATES Aphor. S. VI. aph. 27.



denique abeunt, et mortem propinquam aequae, ac icterus superueniens, et sitis, qui miseros perurit, portendunt ¹⁾. Haec pauca de vniuersali hydropis prognosi subnexuisse suffecerit, quum non modo plurima ex praecedentibus iam liquere, sed inprimis quoque, quod ad ipsa obseruatorum dogmata, quae quisque vel propria diues experientia, magni aestimare solet, mihi nihil addendum superesse existimem. In his autem nunc finem academici mei tyrocinii facere, et eam, quae adhuc reliqua est, meae tractationis, partem, quaeque de singularum hydropis specierum enumeratione et expositione agere deberet, intactam relinquere et in aliud tempus differre liceat, quia hoc spatium ad illius amplitudinem capiendam minus aptum foret. Quare hic pedem iam figo.

¹⁾ PLATNERVS, l. c. §. 480. HOFFMANNVS, l. c. Tom. III. pag. 352. §. 18.

T H E S E S.

- I. Cerebri inflammatio falso phrenitidis causa accusatur.
- II. Amputatio membrorum sphacelo correptorum est reiicienda.
- III. Inflammationes minime e vasorum obstructione possunt explicari.
- IV. Nec vnquam scirrhus est phlegmones terminatio.
- V. Mercurius non semper absoluit sanationem vlcere venerorum, neque eum ad omnes morbos venereos sanandos necessarium censeo.
- VI. Febris, vulneribus plerumque superueniens, rarius, quam vulgo creditur, est inflammatoria.
- VII. Intermittentium febrium causa quaerenda est in primis viis.
- VIII. Non extant limites certi inter medicamenta et venena.
- IX. In haemorrhagiis coercendis ligatura agarico, et compressionibus semper est praeferenda.